

vt in scholis loquuntur, dispescere, & ad prioris generis referre occupationem, & inuentionem, ad posterioris generis accessionem. Ad accessionem autem, quam in naturalem, industrialem & mixtam diuidunt, & maxime ad mixtam pertinere dicunt perceptionem, qua fructus rei alienae bona fide possessae acquirimus. Quae quidem quum ita ab omnibus fere tradi solent, non opus erit longo multorum nominum recensu, qui nullo fere negotio adiici poterat. Neque vero explicationi horum vocabulorum artis immoramur, quum vulgaris ea definiendi ratio ne a dupondiis quidem ignoretur. Hoc tantum quaerimus: *An recte fiat, vt hoc modo fieri apparet, quod perceptio fructuum rei alienae bona fide possessae referatur ad modos acquirendi naturales?*

## §. II.

Quam quidem quaestionem quum negamus, id agimus, vt negemus, ius naturae bonae fidei possessori rei alienae ius facere fructus eius acquirendi. Ideoque breuissima via res expediri poterat, si ostenderemus, a natura hoc ius non esse. Sed ne recedamus a tramite consueto & vt rectius a quolibet intelligatur, quare in neganda quaestione proposita diuortium a communi fere Iureconsultorum schola faciamus, omnino opus est, vt curatius exponamus vulgarem modi acquirendi in naturalem & ciuilem partitionem. Quum vero nec ipsa tituli & modi acquirendi distinctio semper satis perspicue in scholis tra-

di